





1670.

1. Helmer, David: De empyemate.
2. Meibomius, Henricus: De paracentesi in
Hydrape
3. Meibomius, Henricus: De oleorum stillatitiorum
natura et usu in genere
4. Meibomius, Henricus: De haemorrhoidibus.
5. Spiliker, Burchard: De jure feudorum.
6. Wernerus, Georgius: De jure feudorum

1671.

1. * Wernerus, Georgius: Programma in funere . . .
Georgii Werneri . . .
2. Clasen, Daniel: De contractibus innominatis
3. Lichelius, Johannes: De confusione obligationum
4. Eybenius, Huberticus: De regalibus privatorum

1671.

5. Meibomius, Henricus: De bubonibus
6. Meibomius, Henricus: De chyliificatione

1672.

1. Bœnel, Antonius: De expectativa feudali.
2. Eichelius, Johannes: De accipio ejusque jure.
3. Eichel, Johannes: Theses juridicae ex vario
jure excerptae
4. Engelbrecht, Georgius: De syndicis
5. Eybenius, Hubertus: De origine, progressu,
usu et auctoritate juris canonici in terris pro-
testantiarum in genere.
6. Eybenius, Hubertus: Auctoritas usque juris
Justinianici in Germania privatarum publicarumque
causarum iudicis
7. Eybenius, Hubertus: De causis feudatibus

8. Eybenius, Mulderius: De mandatis sine clausula

9. Eybenius, Mulderius: De apostolis

10. Merbomius, Hurius: De atrophica

11. Merbomius, Hurius: De cephalalgia

12. Spreckelsen, Hartwegus, a: De investitura

- 1. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 2. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 3. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 4. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 5. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 6. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto
- 7. System Hallesches de iure scripto, de iure non scripto



1670, 1
11

QVOD DEVS BENE VERTAT!
DISPV TATIO MEDICA,
DE
EMPYEMATE

Q V A M

DIVINA ADSTANTE GRATIA
CONSENSV ET AVCTORITATE
INCLVTI MEDICORVM IN ILLVSTRI
ACADEMIA 3VLIA
COLLEGII

Publicæ disquisitioni subjiciet

DAVID KELNER
GOTHA-THVRINGVS

RESPONDENTE

HENRICO SALOMONE BERGMANNO
GOTHANO

AD DIEM OCTOBRIS.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCC LXX.



V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
CONSULTISSIMO

DN. JOHANNI
LANGGVTH I.V.L.

SERENISSIMI SAX. DVCIS ERNESTI
REDITVVM PRÆFECTO PRIMARIO,
ADVOCATO AVLICO ORDINARIO ET
CONSULI GOTHANO REGENTI,
DN.FAVTORI ET PATRONO PLV-
RIMVM COLENDO.

Has theses medicas in signum
observantiæ.

D. D. D.

DAVID KELNER
AVTOR.



L. F. F. E. I. D. T. O. M!

DISPUTATIO MEDICA

DE

EMPYEMATE.

Anus penè est, cum hoc loco juvenis quidam xx circiter annorum ex pectoris vulnere factus empyicus peneque desperatus sectione factâ debitisque adhibitis remediis integræ valetudini restitueretur, medicam manum adhibente, operationemque dirigente Amplissimo, Nobilissimo atque Experientissimo Dn. HENRICO MEIBOMIO Anatomix & Chirurgiæ P. P. Ordin: Præceptore atque Patrono meo omni honoris ac observantiæ cultu ætatem venerando. Licuit tum mihi à principio ad finem usque curationi adesse omniaque minima maxima observare, felicemque intueri eventum.

A 2

Cum

Cum autem & affectus ipse gravissimus & periculi plenus esset, remedium etiam, quam vis unicum, anceps tamen, & de quo, an adhiberi possit, inter maximos superioris seculi Anatomicos & Chirurgos Andream Vesalium & Ioh. Philippum Ingrassiam disputatum, capi diligentius totam Empyematis naturam rimari, & quæ in Medicorum libris de eo annotata sunt, inter se conferre, unde illæ theses natæ, quas nunc examini publico subicere decrevi.

THESIS I.

Eμπύησις sive ἐμπύημα, Latinis Suppurationem denotat, à Græca voce πύον pus, unde πύω supuro. Hæc vox tamen latius patet variasque admittit significationes apud Scriptores medicos, ideoque è re esse existimavi, ab æquivocatione, quæ omnium errorum parens est, illam prius liberare, ut quid per eam intelligi velim, magis elucescat.

II. Primò nonnulli latissimè hanc vocem usurpantes sub illa qualemcunque puris generationem seu collectionem tuberculorumque in pus mutationem, quocunque etiam in loco & parte corporis fiat, complectuntur, Quomodo in Prognosticis Hippocrates sæpè loquitur, & Galenus comment: ad aph. 5. sect. 8. docet. Alij verò dein strictiori significatu suppurationem in thorace factam tantum intelligunt, quo pertinet aph. 10. Sect. 5. Strictissimè denique empyema vocant, cum inter pectus & pulmo.

pulmonem pus collectum est, & ita empyema dicitur aph. 8. sect. 5. empyique vocantur aph. 44. sect. 7. Nos etiam per Empyema nihil aliud hic intelligimus, quam puris in spatio, quod thoracem inter & pulmones est, nunc quidem in uno solum, nunc vero in utroque latere collectionem.

III. Modo enim in dextro tantum, modo in sinistro, modo in utroque latere est empyema. Cum nempe mediastinum in duas partes thoracem dividat: & quidem ita firmiter utriusque lateris cavitatem claudat, ut ex uno in alterum penetrare nil possit, pus unius lateris ibi quoque stagnare cogitur, altero intacto, nec in utroque latere, nisi à communi causa eò devenerit, observatur, aut læso mediastino.

IV. Sunt autem varia, de quibus conqueri solent, huiusmodi ægri. Sentiunt plerumque diaphragmati incumbens pondus aliquod, in motu corporis antrosum & retrorsum aliquam fluctuationem, cumque ex uno latere in aliud se provolvunt. In latus non affectum decumbere vix possunt, fitque tum imprimis respiratio difficilis. Adest præterea febris continua, eaque valde acuta, tussis sicca & perpetua, anxietas maxima, sudor facile prorumpit, sed sine levamine, sitis urget, appetitus autem adest nullus.

V. Quamvis autem hæc in omni ferè empyemate observentur, tamen ad integram illius historiam, & quæ à principio ad finem usque comitantur, symptomata diligentius, quam vulgò fit, enarranda, necesse est primò causas empyematis manifestas consideremus, ut dein in quolibet ab hac vel illa causa exorto empyemate omnia *Φαινόμενα* distinctè proponi possint: Quædam enim, uti dein patebit, differentia hic occurrit.

A. 3.

VI. Pri-

VI Primo non infrequenter ex pleuritide non rectè curata fit Empyema. Iam tum ab Hippocrate id observatum est sect. 5. aph. 8. *Quicumque, inquit, laterali morbo laborant & in quatuordecim diebus non repurgantur, empyici fiunt.* Vbi quidem interpretes in dierum numero determinando inter se non conveniunt, pleuritidem tamen in empyema terminari omnes concedunt, suntque hujus rei tam obvia apud Scriptores Medicos & in praxi quotidiana exempla, ut enumerare non libeat.

VII. Deinde Peripneumonici similiter fiunt Empyici, postquam materia suppurari incepit. Et hoc modo angina quoque in empyema aliquando desinit, materia primò ad pulmonem convèrsa, dein in thoracis cavum delapsa, ceu indicatur in aph. 10. Sect. 4. Habetque exemplum illustris juvenis J. C. Claudinus consultat. Medic. xxx. qui prius abscessu anginoso suppurato laboraverat, qui tamen per os non fuerat expurgatus, materiâ ad pectus delapsâ.

IX. Cum enim sive in faucibus, sive in larynge, sive in thorace, sive in pulmonibus exulceratio aliqua facta est, oriri inde empyema potest. Imo si in capite quoque. Ita retulit mihi Amplif: Dn. MEIBOMIUS in Nosocomio Leidensi puellam fuisse, quæ extremis doloribus capitis tortâ, copiosissimo pure ex aure profluente, mortua est, in cujus cadavere in capite nihil, pectoris verò cavum pure repletum deprehensum fuit, secante celeberrimo D. SYLVIO, materia sine dubio ab aure ad pectus translata. Et ita à vulneribus capitis plurimos interire converso pure à cerebro partibusque superioribus ad thoracem, animadvertunt Chirurghi, notatque doctissimus Ingrassias in E. narrat. casus illustris. Ducis Terræ novæ p. 23.

IX. Cum

IX. Cum pulmo aliquâ sui parte exulceratus est, in extremis præsertim, tum purio aliqua puris in thoracis cavum descendit, sensimque crescente ulcere eò res devenit, ut tandem toto pulmone in saniem resoluta illius ne vestigium extet, sed toto cavo merum pus contineatur. Id quod pluribus aliorum historiis illustrare integrum mihi esset, nisi mallem propriam observationem adducere quam ante mensem cum sæpius laudato Excellentiss. Dn. D. MEIBOMIO habui. Puella diu laboraverat ulceribus & fistulis in partibus externis, quibus tandem sanatis nihilominus illa & emaciari & tussire continuavit, mortua tandem. Aperto cadavere dextra thoracis cavitas pure plenissima erat, incredibilisque ejus copia exhibat, de pulmone autem nihil reliquum: in altero latere non pus, sed aqua cruenta instar loturæ carnis, & pulmonis tertia circiter pars adhuc reliqua, flaccida tamen, contractaque.

X. Sæpè pus in pulmonibus continetur, sed peculiari membrana tectum (vomica vocant id malum Medici) quod integra illa membrana minora symptomata inducit, observatumque aliquando est ab Hollerio observat. rar. 1. & Fernelio Patholog: l. 5. c. 10. hujusmodi vomicas integras rejectas fuisse, ovi columbini magnitudine. Quin rarissimo exemplo totum pulmonem nihil aliud quam vomicam talem fuisse vidit Forest. l. 15. obs: 51. Pus enim foetidum membrana contentum loco pulmonis fuit, quæ membrana integra quidem adhuc fuit digitis autem tacta disrupta fuit. Quod si jam pulmonis vomicam aliquam disrumpi contingat, aliquando quidem per os, transeunte in bronchia materia, evacuetur, sæpè autem in cavum thoracis dilapsa empyema facit.

XI. Præterea à vulneribus penetrantibus in cavum
tho-

thoracis frequentissimè oboriri empyemata observamus. Equidem, si per illa vulnera pars aliqua pulmonis simul lædatur, cum multo sanguine abundet viscus illud, facilius fieri profluvium sanguinis in thoracis cavum & dein empyema potest, cujusmodi exempla, tum alij, tum Scultetus. Obs. 45. habet. Quod si tamen pulmo læsus non sit, nihilominus à vasis musculorum intercostalium pleuræque ruptis discissive potest decubitus aliquis sanguinis versus diaphragma fieri, idque imprimis contingit, ubi illa extrorsum parum profundunt sanguinis. Exempla plura occurrunt apud Andr. Vesalium in Epist. ad Ingrassiam, quæ Terræ Novæ Duci consilium dat. Paschalius de cur. morb. l. 1. c. 29. Valleriolam l. 4. obs. 7. Joh. Bapt. Sylvaticum Cent. 3. conf. 54. Pet. Marchettum in observat. Chirurgicis aliosque. Et ita factum observavimus in juvene illo, subulci filio, cujus occasione hanc dissertationem nos scripsisse suprâ dictum est. Cum enim in agro solus esset, currensque caderet, instrumentum ferreum acutum, quod manu tenebat, sibi ipsi in pectus validè impexit, paulo suprâ sinistram mamillam. Jacuit autem ibi per duas horas, antequam chirurgus adveniret, sanguine extrorsum quidem etiam profuso, introrsum tamen sine dubio quoque in thoracis cavum prolapso, ut dein patuit. Consolidata enim licet ista plaga, nihilominus malè habuit, postque aliquot septimanas empyemate ipsum laborare manifestum fuit.

XII. Uti autem serres habet cum vulneribus thoracis penetrantibus, sic cum alijs quibuscunque vasorum in pectore ruptionibus, quacunque de causa factis, comparatum est; extravasatus enim sanguis & versus diaphragma delapsus putrescit dein, & empyema facit.

XIII. Nec

XIII. A diaphragmatis quoque vulnere, laeso praefertim simul pulmone, fieri Empyema potest. Quamvis enim prima fronte id non videatur posse contingere, cum per vulnus in diaphragmate factum materiae ex thorace in abdomen exitus detur, quale quid observavit Scultetus obs. 47. tamen non ita patens semper vulnus est, facileque si obliquum id fuerit, membranis coeuntibus clauditur. Ita Ozias Aimar Chirurgus Gratianopolitanus apud Riverium obs. 6. vidit quendam factum empyematicum ab ictu pugionis in Epigastrio, penetrante sursum vulnere ad diaphragma & per illud.

XIV. Nectantum ex sanguine in cavum thoracis delapso ibique putrescente, fit Empyema, sed aliquando ex fistulis thoracis pus jam factum in cavitate ejus expuitur. Notavit hoc egregie in Coacis t. 430. Hippocrates, si externa vulneris pars sanitatem receperit, interna vero nequaquam, suppurationis periculum impendere. Quam in rem multa egregia legere licet in Enarratione Casus Ducis Terrae novae fistula thoracis laborante, authore Ingrassia.

XV. His praemissis, revertimur ad historiam affectus, pleniorumque symptomatum considerationem. Symptomata autem non statim inter initia in omni empyemate eodem modo se habent, cum aliquando per affluxum, aliquando per congestionem, ut illam distinctionem hic accommodem, fiat. Per affluxum fieri dico empyema, cum rumpitur abscessus in pectore, sive pulmone, sive pleura, sive alibi, brevique tempore fit perfectum. Per congestionem autem, cum sive sanguis, sive etiam pus ex fistula aliqua thoracis in cavo ejus colligitur, tumque demum, ubi putrescit, aut majori copia congregatum est, symptomata gravia inducit.

B

XVI. Cum

XVI. Cum pleuritis in Empyema definit, sequenti modo fieri observamus. Dum materia in pus abit, febris dolorque valde urgent, aliaque symptomata ingravescunt, rigoresque graviter & perintervalla incerta moleste concutiunt ægrum. unde rupturi abscessus signa desumimus. Minuuntur vero deinde nonnihil symptomata, febris, tussis, difficilisque respiratio & pungitivus tensivusque dolor, quin quodammodo sanus sibi esse videtur æger, unde prorupisse jam pus in cavitationem colligere licet. Dum enim à materia illa molesta tam subito liberatur pulmo, spiritusque liberius intrat, & redditur, non mirum est, ægrum magnum percipere levamen. At non est gaudium illud diuturnum, cum brevi tempore symptomata iterum augeantur, aliaque insuper accedant.

XVII. Quibus verò per congestionem pus in cavo colligitur, vel fit, cum iis non simili modo se habet. Sensim enim pro copia aut putredine materiæ augentur symptomata, donec ad summum perveniant, nec, quam modo memoravimus, alleviatio percipitur. Et aliquando sanguis in cavitationem prolapsus non advertitur, donec tandem putrescens suis se symptomatis prodat magno ægrotantis malo.

XIX. Cum jam est in cavitate pus, symptomata in omnibus ferè sunt eadem pro quantitate tantum puris majori minorivè variatio contingit, aut à peculiari aliqua circumstantia, ut mox patebit.

XIX. Empyematici ferè omnes de difficili respiratione conqueruntur, imprimis vero, si in latus non affectum decumbant. In nonnullis etiam stertor observatur. Desiderius Jacotius ad Coacas Hippocr. t. 18. exemplo ostendere vult, stertorem non semper suppuratum pulmo-

nem

nem sequi, se enim ingentem pulmonis vomitam in eo deprehendisse, in quo vivo stertor non apparuerat. Id quod concedi potest. Utenim stertor fiat, necesse est in bronchis asperæ arteriæ copiosa etiam hæreat materia, ad quam ultrò citroque means aër allidat, sonumque illum faciat: id quod non semper contingit. Rectè tamen nihilominus Hippocrates dixit l. c. ubi de pulmone suppurato agit, aliquantulum stertere sputi purulenti copiam indicare. In Empyematicis etiam tum demum stertor observatur cum non in cavo tantum thoracis hæret pus, sed in pulmone etiam. Exercitatissimus Anatomicus & Chirurgus Patavinus Petrus Marchettus de difficultate etiam respirationis dubitat, & obs. Chirurg. 46. adducit exemplum Empyici, cui multam in thoracis cavo puris copiam esse negabant præclarissimi quidam Medici, eo potissimum argumento, quod nulla respirationis difficultas ægro molesta esset, cui tamen sectione factâ ultra libram fætidissimi puris eduxit. Verum plerumque adest illa respirandi difficultas, nunc minor tamen, nunc major, imò aliquando tanta, ut suffocari videantur sibi ægri, ut in subulci filio deprehendimus.

XX. Tussi laborare etiam Empyicos scribunt omnes Practici. Hipp. l. 2. prognost. 59. tussim & tussendi cupiditatem ijs oboriri scribit, sed tamen nihil tussiendo commemorabile expectorare. Quamvis enim, uti deinde dicemus, aliquando copiosa materiæ per tussim rejectione solvatur morbus, ut plurimum tamen sicca adest tussis, qualem & in sæpius memorato subulci filio deprehendimus. Doctissimus vero M. Aurelius Severinus in singulari consultat. quæ addita est l. 2. de recondit. absces. quodammodo hic contrariatur, cujus verba, experientia

entia firma, integra, quia pauca sunt, adscribam. Sed & nos, inquit, p. 43. multos curavimus è vulnere suppuratos, qui nullam unquam tussim experti sunt. Imo & suppurati alio quocumque deflexu ad pectus vivunt hodie, qui fateri verè possint se nullam ex hoc affectu tussim cognovisse: inter ceteros mihi subit in mentem Tabellio nobilis Neapoli in foro charitatis, cui nomen Octavio: quam rem novit & D. Petrus Antonius Provensanus Medicus, qui me ad hominem curandum deduxit A. 1620. quo item collega Josephum Laudatum ex vulnere empyematicum curavi, quem nil unquam tussis incessit. Hæc ille.

XXI. Febris deinde meminit Hippocrates, quæ interdum quidem levior, de noctu autem gravior. Quæ licet per leve aliquod tempus possit abesse, ut nonnulli volunt, tandem tamen, pulmone præsertim etiam affecto, accedit, eaque continua, quamvis per intervalla exacerbetur.

XXII. Plurimi quoque, ubi ab uno latere in aliud se convertunt, aut corpus antrorsum retrorsumque movent, fluctuationem quandam sentiunt, & ab una parte ad aliam materiæ provolutionem: potestque aliquando ab adstantibus quoque strepitus is instar fluctuantis aquæ audiri. Quidam vero nullum hujusmodi in pectore motum percipiunt.

XXIII. Hippocrates Pustularum prorumpentium meminit ἀπὸ τὸ σῶμα, per totum corpus ex vers. Heurnij. Practici verò communiter meminere tantum pustularum in pectore, & circa pectus. Severin. l. 2. de absces. c. 5. refert ex phthificis se multos observasse tuberculis in pectore externo infestatos, meminitque juvenis cujusdam, cui solo thorace anteriore posterioreve & brachiis creberrima spectarentur, nulla autem in abdomine & inferioribus artibus.

tubus, P. Marchettus in empyemato ex vulnere totum corpus squallidum & squamis instar piscium oblitum vidit ceu notat obs. 45.

XXIV. Præterea sudores frequentes sunt, sed à quibus æger nil quicquam levatur, eosque sudores horrores excipiunt, hique ab illis iterum excipiuntur. Anxietas autem magna est, ut ex uno cubiculo in aliud se transferri faciant, nescij, ubi hæreant. Appetitus interim perit, imò fastidium adest cibi: Sitis verò durat, corpus emaciatur, lipothymia superveniunt.

XXV. Diuturni empyematis & in phthisin degenerantis symptomata sunt oculi concavi, ungues adunci, extimorum digitorum ardor, pedum tumor &c: qualia tum ab Hippocr. l. c. tum aliis annotata, Empyematisque & phthisicis sunt communia.

XXVI. Historia ita proposita, jam in causas tum ipsius affectus, tum etiam symptomatum inquirendum est. Est autem sine dubio Empyematis causa continens Pus in cavo pectoris pulmonem inter & thoracem collectum. Cujus quidem collectionis causas jam tum supra diximus esse vel inflammationes partium thoracis præcedentes, vel vulnera ruptionesque vasorum.

XXVII. Quæcunque igitur his inflammationibus dant occasionem, aut ruptionem aliquam vasorum in thorace procurant, illa inter remotiores causas Empyematis recenseri possunt. Cujusmodi sunt violenti motus, pectoris præsertim per vociferationes, tussesque commotiones, animi effrenes passionis, aër calidus, cibi potusque nimij, quibus plethora inducitur, suppressæ evacuationes hæmorrhoidum, menstruorum, cujus ultimæ exemplum legere est ap. Joh. Bapt. Montanum Consil. 177.

B 3

XXVIII. Et

XXVIII. Et illa quidem non indigent uberiori declaratione: id tamen non ita manifestum est, quomodo in cavum thoracis pus, positus illis causis, perveniat. In pleuriticis aliquando rumpi abscessus videtur, pusque contentum in cavum, diffractis membranis, prolabi: aliquando forte etiam per membranam transudat humor, quod multis non videtur impossibile, nec improbabile, cum per cutim fortiorem & crassiorem in fracturis ossium callo obducendis sæpè sanguineus humor ita copiosè penetrare observetur, ut ligamenta fasciasque circumpositas irriget.

XXIX. Ex Pulmonicis fieri Empyicos mirum non est, vomitibus disruptis. At quomodo in Angina ex Faucibus, ex Capite etiam, ut diximus, ad pectoris cavum perveniat pus, non æquè patet. Nullum enim à collo ductum Anatome ostendit, per quem ad pectoris cavum possit pervenire materia. Si ad asperam arteriam fluit, vel ruffi rejicitur, vel in pulmones, non autem thoracem, descendit. Cogimur igitur hic in Plateri quodammodo descendere sententiam, & tale empyema cum pulmonis exulceratione fieri, fateri.

XXX. In Leidensi quidem Noscomio in puella illa, cujus thes. iix. memini, visi sibi sunt videri. Dissectores commodam aliquam viam à capite ad thoracem per interstitia musculorum colli: verum tum necesse est tamen perforantur membranæ, ut in thoracem pateat aditus. Quod in anginosi etiam locum habere posset, quibus sæpè extrorsum fertur materia, ubi tum juxta musculorum spatia non ita difficilis descensus est. An dicemus, à jugularibus venis receptum pus transire per cavam, dextrumque ventriculum, in pulmonem, partemque illam
mol-

mollem corrodere & exulcerare? Nisi enim illa per vasa sanguinea admittatur via, plurima *Φαινομένα* explicari non poterunt, nec illud, quomodo aliquando vulnera capitis hepatis sequantur abscessus, ceu chirurgi itidem observant. Vide Joh. à Meccheren chirurg. obs. Belgice nuper editas.

XXXI. In symptomatum causis explicandis etiam nonnihil occurrit difficultatis. Respirationem difficilem fieri empyicis, mirum non est, cum omnium consensu diaphragma, cui incumbit pus, ad respirationem plurimum faciat, quod non potest non in debita sui contractione inde aliquo modo impediri. Pulmo etiam non ita potest expandi, si magna adsit materiæ purulentæ copia. Quod autem aliquando respiratio fuerit illæsa, pure nihilominus in cavo existente, magis mirum est, uti & rarius. Marchettus existimat, quotiescunque pus non est in tanta copia, ut pulmones id contingant, moto etiam diaphragmate, respirationem esse illæsam. Id sanè verum est, pro minori majorivè purulentæ materiæ copia magis minusvè lædi respirationem. Quod si in sanum latus fiat decubitus, pulmone illius lateris pondere puris compresso, maxima difficultas respirationis & penè suffocatio oritur.

XXXII. Tussis fit à vellicatione partium sensibilibium thoracis, ideoque semper ferè adest, cum materia illa plerumque acris sit & ad vellicandum idonea. Ubi tussim non excitat, dulcior minusque acris esse videtur, ceu observamus aliàs pro diversitate saniei quædam ulcera in corporibus nostris esse dolorosa, alia doloris expertia. Quod autem plerumque sicca sit illa tussis, nec expuatur quicquam, fit, quia materia per pulmonis membranam tran-

situm

fitum invenire nequit. Cum autem fit materiae in pulmones transumptio, tum id contingit partim puris tenuitate, partim pulmonis membranae raritate, partim erosione ejusdem.

XXXIII. Febrem adesse, mirum non est, cum in loco cordi tam vicino congesta sit materia putrida, quae & per vapores febrem potest accendere & erosio alicubi vel in pectore vel in pulmonibus vasis sanguini sese communicare & in corde febrilem aestum eiere. Exacerbationes febris à cibo assumpto dependere videntur, & ad Hipp. salvandum allegat Heurnius consuetudinem veterum, per quam coena cunctis, prandium non omnibus erat familiare. Videmus verò alias quoque inflammationes, variosque affectus noctu gravius infestare aegros, quam interdiu.

XXXIV. Fluctuatio illa in thorace percipitur, ubi tenuius est pus, & in thorace adhuc inane spatium: qui si planè repletus, nullus strepitus fit, ceu in vase aqua pleno. Idem contingit, si materia sit crassa nimis: aut etiam si pluribus in locis firmissimè agglutinetur pulmo thoraci & diaphragmati, ut conjungi omnis materia & in unum cumulum coire nequeat, qualem coalitum in suppuratis pectoribus deprehendimus, notaruntque accuratè Andreas Vesalius, Barthol. Eustachius, Joh. Phil. Ingrassias, celeberrimi superioris seculi Anatomici.

XXXV. Pustulae in pectore prorumpentes à vaporibus putridis è thoracis cavo exhalantibus videntur deducendae: quae tamen in reliquo quoque corpore occurrunt, sanguinem putridis quibusdam particulis, pectus dum transiret, infectum & ad partes dein delatum autorem agnoscunt. Reliqua memorata symptomata, cum &
expli-

explicari facilè possint, & in pluribus aliis morbis occurrant, hìc ad suas causas non reducimus, sed ad alia pergitur.

XXXVI. Signa Diagnostica Empyematis non sunt hìc prolixè memoranda, utpote supra in historia satis superque indicata. Cum tamen ex historia pateat, quædam ex iis quæ signorum loco sunt, non semper & in omni empyemate observari, diligens utique Medicus & Chirurgus hìc esse debet, omniaque diligenter circumspicere, ne fallatur. Nam & hic deceptio aliquando contingit, retulitque mihi Ampl. Dn. D. MEIBOMIUS Lugduni Batavorum celebrem Medicum & Chirurum, cum empyematis signis non satis prius expensis, paracentesin instituisset, nullo se manifestante pure, vuculas calumnamque hominum incurrisse. Operæ igitur pretium erit, ea, quæ antecedunt diligenter considerare, an talia sint, quæ inducere empyema possint: dein omnia signa recensita, quæ ex iis occurrunt, simul sumere, cum quædam aliis quoque affectibus pectoris sint communia: denique etiam, an in pectore alicubi quodam seorsim in loco aliquod appareat puris ibi delitescens signum.

XXXVII. Neque enim sufficit scire pus in cavitate thoracis esse collectum, sed præterea, ut ex curatione patebit, nosse debemus, quo in latere & quo loco lateris sit reconditum. Hippocrates eo nomine converti ægrum modo in hoc, modo in illud latus vult, ut si alterutri incumbere non possit, alterum suppuratum esse colligatur. Dein in latere affecto, ubi gravitas magis percipitur, ubi calor dolorque major & aliquando etiam tumor in costarum intervallis prominens, ibi sedem ipsam materiæ esse statuere licet. Calorem majorem illa in parte etiam manu
C appo-

apposita deprehendere licet. Alii linteum madidum sumunt, bolo etiam oblitum, pectorique circumdant, quoque in loco primum id siccescit, eo puris esse sedem ex majori calore colligunt, quod inventum Hippocrati debetur ex eo ab aliis descriptum.

XXXIIX. Prædictionem in hoc morbo Hippocrates etiam satis accuratè instituit. Malum sanè periculosum est, quamvis spes adhuc aliqua supersit. Nam & ratione partium, quas lædit, & functionis, quam impedit, magni momenti affectus non immeritò censetur. Cum præterea graves morbos sequatur, vires jam tum prostratæ facilius planè concidunt, curationemque frustrantur. Quod à vulnere thoracis aut illapso sanguine oritur empyema, reliquis minus periculosum est: quod autem à pulmonis ulcere maximè perniciosum: Minus etiam malum si una tantum cavitas pure repleta, & si dextra potius, quam sinistra.

XXXIX. Bona autem signa salutemque promittentia sunt si æger non difficulter respiret, si febris mitior, pus facilè educitur, idque non foetidum, sed album, & quale: quorum contraria mala signa sunt. Et hæc quidem rectius patebunt quoque, ubi modos, quibus empyema solet solvi, consideraverimus, & quisnam ex illis tutissimus.

XL. Si materia exitum non inveniatur, tandem suffocantur, viriumque robore exhausto, succumbunt moriunturque, ut phthisici solent. Alias verò natura duce exitum sibi facit materia vel per alvum, vel per urinam vel per tussim, vel per aliquot ex his viis aut omnes simul.

XLI. Per alvum excretam fuisse materiam purulentam cavo pectoris contentam à non paucis annotatum est, habuitque hujus rei nuper valdè notabile exemplum in

CIVE

eive quodam hujus oppidi Ampl. Dn. D. MEIBOMIUS. Lud.
Septal. l. vi. Animadv. Medic. §. 127. vidit in purulento ex
pleuritide jam jam ex suffocatione moribundo, sudoribus
frigidis obortis & extremis frigescentibus, subito alvi fluo-
rem supervenisse maximaque saniei copia effusa ægrum
brevis convaluisse. Vidit Alex. Bened. l. 3. Anat. c. 9. & Herc.
Saxonia semel, ut testatur practices l. 2. c. 7. & in Nicolao
de Bonaveriis Joh. Arculanus comm. in ix. Almanfor.
cap. 70.

XLII. Per urinam pus exiisse etiam frequentius ob-
servatum est, tum in pleuriticis, tum de quibus nunc loqui-
mur, empyicis, ceu præter exempla à Schenckio cap. de
pleurit. adducta docent observationes ap. Gregor. Horsti-
um l. 3. p. 132. 137. Joh. Matthæum Relat. Med. 4. Glandorp.
Specul. Chir. obs. 28. Scultetum obs. 46. aliosque.

XLIII. Quamvis autem hæc exempla indubitatae
sint fidei, tamen non æque in promptu est expedire, quo-
modo illa puris translatio ex pectoris cavo ad alvum vel
vesicam fiat. Et fuerunt quidem jam tum prisca hæc de re
valdè solliciti, non minus ac hodie sunt juniores. Non-
nulli quidem Hippocratis illud, omnia in corpore esse *ἐύγε-
για καὶ σύμπνοια*, nimis extendentes facile se expediunt, &
ab una parte corporis ad aliam materiam rectà transmit-
tunt. Id quod tamen admitti ab accuratis examinatori-
bus nequit: quamvis non negem esse variis in partibus
transmittendæ materiæ minimos & insensibiles poros, de
quibus accuratum scriptum Viri Ampl. Nobiliss. atque Ex-
perientiss. Dn. IOH. THEOD. SCHENCKII Med. D. & Profess.
Ienens. celeberrimi, Præceptoris, Fautoris ac Hospitis olim
mei plurimum observandi propediem expectamus.

XLIV. Ut breviter dicam, videtur mihi materia illa
debere

debere in venas aut thoracis, aut pulmonum recipi, perque eas aut in cavam dextrumque ventriculum, aut in sinistram mediante vena pulmonari transfundi: Ex sinistro deinde ventriculo educi cum reliquo sanguine per mesentericas arterias ad alvum, per emulgentes vero ad renes. Quamvis enim variae à nonnullis excogitatae sint viae, praesertim per venam azygon, quam cum emulgentibus habere communionem deprehenderunt Bartholom. Eustachius, Fallopius, Aquapendens aliique: tamen posito sanguinis per arterias ad partes & ex iis in venas motu, de cuius veritate jam paullo peritiorum puto dubitare neminem, salvis valvulis, quas in venis dari sensus docent, impossibile est hoc modo pus ad renes ferri. Septalius Animadv. l. vi. t. 128. & Joh. Heurnius de morb. pect. c. 3. referunt venam azygos interdum inseri ramulis aortae. Verum, praeterquam quod non immerito de illius rei veritate dubites, motus sanguinis in azygo est ex minimis ejus ramulis in majorem truncum indeque ad cavam, non autem ex trunculo in minimos ramos, ut inde in aortam perque ejus ramos emulgentes ad renes pervenire possit.

XLV. Stat igitur firma illa quam proposui sententia, quae tamen jam tum à Galeno est asserta, quamvis nos jam longè plures rationes in promptu habeamus, quibus & thesin defendere & contrariam destruere possumus. Volunt quidem absurditatis hanc sententiam convincere nonnulli, quod illam positam per medium cor traducatur purulenta materia, unde non possit non sequi subitanea mors, cujus tamen contrarium experientia doceat. Verum id experientia quoque docet, aliquando gravissimè & tantum non lethaliter affici aegros, cum magna transit purulenta materiae copia, aliàs anxietatem percipere, aliàs languorem

guorem aliquem momentaneum; quod autem mors non statim subsequatur, fit, quia celerrimus est materiae per cor transitus, accedensque mox iterum expellitur. Quae omnia egregie ostendit Nob. atque Ampl. Dn. D. CONRINGIUS, Praeceptor ac Fautor meus summe venerandus libro de motu & generatione sanguinis circa finem.

XLVI. Sed redeamus e diverticulo in viam & illam quoque nunc consideremus expurgationem materiae quae per tussim fit. Est autem non infrequens, docentque exempla incredibilem materiae copiam hoc modo fuisse e ductam. Meminit Herc. Saxonia l. c. nautae empyici ac tabidi, qui praeter omnem spem cum nullis uteretur auxiliis nocte quadam eiecerit sputum quindecim librarum per 8. vel 10 dies. Confer Ioh. Iessenium in Chirurg. p. 75. Ioh. Bapt. Sylvaticum Cent. 3. Consil. 52. Non enim usque adeo difficilis ex cavo thoracis in pulmonum vasa est via, frequenterque tunica pulmonem succingens eroditur, ubi tum promptissime transit materia quod experiuntur Chirurghi sua decocta per siphonem injicientes, quae per os saepe numero redeunt. Pet. Marchettus obs. Chirurg. 46. advertere jubet, quando purulenta materia supra diaphragma decumbens non superat pulmonum alas, tum per tussim non expurgari, quia admittere non possunt eandem non contingentes.

XLVII. Ultimus denique solutionis Empyematis modus est, cum extra, facto alicubi in pectore emissario, educitur, qui tamen artis potius quam naturae est, quamvis viam hanc illa quodammodo monstret, tumore alicubi in pectore excitato.

XLIX. Iam igitur ad Curationem progrediamur & quomodo illa ex arte institui debeat, videamus. Indi-
catio

catio quidem illa generalis hic est pus esse è cavitate edu-
cendum, utpote cum id toto genere sit præter naturam.
Cum autem per decursum morbi partes etiam quædam
non possint non esse affectæ læsæque, illas in pristinum sta-
tum esse restituendas patet.

XLIX. Puris eductio non aliis quàm paullò ante
enumeratis modis, quibus uti Natura solet, fieri potest,
debetque Medicus minister naturæ ejus conatus arte adju-
vare & proin diligenter attendere, quò ille vergat. Neque
tamen illæ solutiones omnes eodem censu habendæ sunt,
sed quemadmodum aliæ aliis faciliores & frequentiores,
ita & tutiores.

L. Solutionem per alvum, quamvis natura aliquan-
do instituat, tamen à Medico procurari non debere censet
doctissimus Sepralius l.c. cum rarò id faciat natura, cum ea-
dem nobis incognitas vias sibi struat, cum præterea non sit
per loca convenientia: & si leviori purgante utamur, no-
xii nihil evacuetur, si validiori, vires imbecilles reddantur,
quæ imprimis conservari debent. Quod quidem moni-
tum nec rejiciendum, nec simpliciter admittendum vide-
tur. Si nullam naturæ ad hanc vel illam solutionem vide-
at inclinationem Medicus, alvum non temerè movebit,
sed expectorantia potius, ut dein dicemus, dabit. Si au-
tem materia ad intestina affectet viam non dubitabit na-
turæ per insolitam licet viam sese liberare conanti opem
ferre, selectis tamen iis remediis, quæ viribus ægri con-
veniant. Hujusmodi curationem felici eventu hoc anno
in cive quodam hujus oppidi instituit Excellentiss. Dn.
MEIBOMIUS. Cum enim illi jam per aliquot annos fami-
liare esset verno tempore primum gravi pectoris affectu
laborare, dein autem ab illo diarrhæa purulenta aliquot
dierum

diērum sponte oborta liberari, non ita feliciter hoc vere
successit, sed rupto abscessu sanguinem cum pure mixtum
exspuere cepit, gravissimeque & ferè lethaliter decumbe-
re. Cum sputa non procederent, habita ratione eorum,
quæ alijs annis evenerant, naturam ad evacuationem per
alvum sollicitandam judicavit ingeniosè Dn. D. MEI-
BOMIUS, adhibitisque sæpius clysteribus, & interdum
ol. amygd. dulcium, manna & syrup. ros. solutivo incre-
dibilem foetidissimi puris copiam per alvum eduxit, &
ita æger penè desperatus evasit, reliquiasque materiæ sen-
sim per sputa eduxit.

LI. Solutioni per vesicam, utpote frequentiori &
per vias convenientiores, æquior est modo citatus Septa-
lius promoventibusque lotium tuto nos uti posse censer,
ut saltem materia, quæ in vomica adhuc continetur, quæ-
que & denuo colligitur, excerni possit. Debent tamen
talia diuretica hinc eligi, quæ præ alijs pectori amica sint, &
vias laxent. Imprimis Therebintina hinc convenit, & qui-
cum spiritu Therebintinæ paratur Balsamus sulphuris, par-
ca tamen dosi. Ex vegetabilibus Radices Glycyrrhiæ,
foeniculi, asparagi, petroselini, chærefolium, capilli vene-
ris, semina frigida, sem. violarum &c. ex quibus, simili-
busque apozemata fieri possunt. Syrupus de Althæa Fer-
nelii etiam hic commodus est, ut & oleum amygd. dulc. re-
center expressum ad aliquot uncias.

LII. Per sputa quæ fit solutio commodissima vide-
tur, cum via illa & brevior & promptior sit, doceatque ex-
perientia non alio modo rectius pectus expurgari. Quin
etiamsi modo enumeratis viis fiat solutio, tamen reliquiæ
puris per tussim solent excludi. Huic proinde naturæ co-
natui imprimis subvenire debemus, quod fit per Expecto-
rantia

rantia dicta, qualia apud practicos innumera occurrunt & in vulgus etiam nota sunt. Prudens autem Medicus delictum facere debet consideratis cum reliquis circumstantiis, tum sputis, quæ ejiciuntur. Quod si enim crassum pus sit, tum quæ potentius incidunt, attenuant, abstergentque usurpanda sunt, aliàs leniora: quina aliquando ubi pus acre est acrimoniam ejus mitigantia & lenientia adhibere convenit. Debet enim pus ita præparari, ut facilius in pulmonis poros intrare, & dein per vasa aspera exire possit.

LIII. Ex radicibus conveniunt Helenii, Iridis Florentinæ, Glycyrrhizæ: ex herbis Hyssopus, Prasium, Capilli veneris, tussilago: ex seminibus urticæ, anisi, foeniculi, card. bened: ex fructibus passulæ, jujubæ, Sebesten &c.; quæ variis modis exhiberi & inter se misceri possunt. Neque enim, ut formularum multa adscribamus exempla, paginarum harum angustia admittit. Sunt in omnibus officinis ex modo dictis simplicibus parati syrapi & lohoch, qui utiliter adhibentur. Aqua hordei, hydromel copiosè bibi debet. Oxymelitis quoque tum simplicis tum compositi suus hic usus est.

LIV. Nonnulli, ut per superiora commodius educatur materia, vomitum concitare volunt, id quod tamen minus tutum existimo. Cum enim pectus multâ materiâ repletum sit, si vomitu excitato simul & ex ventriculo & ex pectore prorumpat, facilè fieri suffocatio potest; uti nobili Anglo accidisse retulit Nobiliss. Un. D. MEIBOMIUS, qui phthisicus empyematicusque cum ex Anglia in Galliam trajicere vellet, mali sui remedium in mutatione aëris quæsiturus, oborta in mari nausea cum vehementi vomitu purulentam materiam animamque ipsam evomit. Septalij tamen monitum non improbo, ut æger inanem vomitum

rum digito provocet, non tamen promoveat : Sic enim & rectis abdominis musculis ab infernis partibus compresso diaphragmate materia facilius propellitur.

LXV. Quod si verò his modis educi non possit materia unicum adhuc superest remedium, Sectio nimirum thoracis via puri facta. Casu illud inventum ferunt, rationi tamen quam maximè conveniens est, cum pus quod toto genere præter naturam est, educere ex thoracis cavo velimus, & quidem via, quam brevissima, qualis utique hinc est. Evenit autem huic remedio, ut multis aliis utilissimis rebus, ut laudetur ab his, culpetur ab illis. Proinde in hac sententiarum inter praticos diversitate expendenda utrinque rationum momenta sunt, & quid fidissima Medicorum magistra experientia doceat.

LXVI. Est autem hoc remedium non nuperum, sed antiquissimum. Ut autem dein distinctius progrediamur, notandum est, posse apertionem illam pectoris fieri vel ferro scindente, vel cauterio actuali, vel potentiali. Sectionis & ustionis meminit Hippocrates sect. 7. aph. 44. ubi Galenus in comm : ex Platone Comico ostendere vult, veteres empyicos ussisse; Verum ex verbis illis, quæ Galenus adducit non licet colligere sermonem ibi esse de ustione illa, cujus Hippocrates meminit, quæ in cavitatem penetret, sed de alia potius, in qua superficialiæ tantum crustæ inuruntur corpori, cujus apud alios Chirurgos mentio fit, ad nos tamen non pertinet. De nostra autem agit pluribus Hippocrates de morbis l. I. II. & III.

LXVII. Qui damnarunt hanc apertionem sunt partim veteres partim recentiores. Ex veteribus Paulus Ægineta l. 6. c. 44, rejicit duabus de causis, quod ægri vel statim moriantur, vitali spiritu simul exeunte, vel fistulas
D
acci-

accipiant incurabiles. Sinistri imprimis eventus, qui aliquando eveniunt, eos deterrent, timidosque reddunt. *Satius est*, inquit Francisc: Sanchez Prof. Tholosanus l. 2. de morb intern. c. 4. *ergo ut nos timidos vulgus judicet, quam crudeles & temerarios, nisi ager & affines id exoptulent, ut in Hernia & calculo: tunc enim dato prognostico de periculo licebit experiri, quamvis me nec authore nec inspectore.* Affert autem ibidem rationem hanc, quod qui pus tollat, non tollat causam, quâ manente pus novum mox generabitur. Joh. Phil. Ingrassias l. c. p. 30. & in Epist. ad Vesalium non quidem planè damnare audet, multas tamen dubitationes habet, & in empyicis à vulnere cum successu non posse administrari censet. Rolsinccius consultat. 3. l. v. aliud dubium habet, fieri posse, ut pars materiæ evacuetur ex facto foramine, major pars retineatur, fistulosumque ulcus relinquatur maximo ægri detrimento & tandem exitu funesto.

LIIX. Verum illa quidem jubent cautum esse Medicum, docentque omnia prius diligenter considerata, ne dein in Medicum mortis causa transferatur, præsidiumque salutare infametur: non tamen idcirco nunquam faciendam hujusmodi apertionem, inde concludere licet. Experientiam si consulamus, negari quidem non potest, multos Empyicos sectos obiisse, sed illa exempla nihil probant, nisi primum liquidò constiterit omnia ex arte, cautelis infra memorandis observatis, fuisse instituta: & dein probatum fuerit, ægros ex vulnere facto obiisse, quod prudenter contra Ingrassiam urget Vesalius. Cum enim aliàs constet, vulnera thoracis penetrantia, interioribus illæsis, non esse ex natura sua lethalia, cur huic vulnere, arte facto, causam mortis, si quando incidit, adscribemus?
Exem-

Exempla autem plurima hujusmodi operationum feliciter peractarum recensentur à scriptoribus, quædam à Vesalio in Epist. citata. Alia habent Hercul. Saxonia pract. l. 2. cap. 7. Jac. Bontius de Medic. Indor. cap. 13. & obs. 5. Scultet. obs. 45. Pet. Marchettus obs. Chirurg. 44. 45. 46. ubi obs. 44. exemplum adducit à se contra opinionem Medicorum, ipsiusque Cl. Veslingij feliciter iustitutæ sectionis, additque se sæpissimè hanc operationem instituisse, præsentem etiam Veslingio : Et ille filius subulci, cujus sæpius meminimus, instituta licet sectione, convaluit tamen & vivit hodiernum. Rondeletius l. 2. meth. cur. morb. cap. 15. itidem exempla habet, cumque modum non novum, sed antiquum esse ostendisset, subjungit : *Sed hodie à paucis fit, quia à paucis cognoscitur pus collectum, vel si cognoscatur Medici timidi nec secare audentes in causa sunt aut assistentium timiditas aut ægri: tandemq; concludit: Si hæc pari nolint tanquam deplorari prognosticis relinquendi sunt.*

LIX. Neque verò rationes ab illis adductæ tanti momenti sunt. Si enim postea à nobis proponendæ cautelæ observentur, non adeò difficulter periculum, quod metuunt, evitare licet, ut nec subitanea mors cum puris eruptione sequatur, nec fistula insanabilis oriatur. Quomodo enim vulnera pectoris, ne in fistulas degenerent, tractanda sint, jam tum præclarè à chirurgis aliis, tum seniorum Franc. Arcæo ostensum est. Præterea, si diligentia adhibeatur, etiam omne pus poterit educi successu temporis. Regeneratio autem puris, si viscera sint salva, etiam dein prohiberi potest. Denique & illud considerandum, multos homines, etsi sciant, se in integrum non posse restitui, tamen remedia quærere, cum miseram vitam præponant tamen morti.

LX. Jam autem cautela illa consideranda sunt. Fa-
teor autem libenter, non carere hanc rem periculo, ideo-
que non statim, si aliis remediis locus, ad eam accedendum
esse, sed tum demum, ubi solutionis per alvum, urinam, tus-
sim spes nulla. Quamvis non nimis cunctari velim, ne in-
terim vires collabascant plane. Ubi enim illis exhaustis &
morte praeforibus existente talis operatio instituitur, ple-
rumque sinister eventus sequitur, quod in paracentesi quaer-
aquae in hydropo evacuanda causa instituitur, itidem locum
habet: & tum remedium ipsum, quamvis innoxium, diffama-
matur apud vulgus.

LXI. Virium enim utique habenda est ratio quam-
maxime. Cum autem antea dictum sit, non nisi reliquis re-
mediis tentatis, ideoque desperatis ferè, hanc apertionem
convenire, existimat Sanchez l. c. implicare contradictio-
nem, esse desperatum & valere viribus. Verum est adhuc
aliqua latitudo imbecillitatis virium, & praeterea consideran-
dum est, an non copia materiae oppressae vires sint, qua subla-
ta illa brevi redeunt, quod frequentissime contingit.

LXII. An autem in interioribus thoracis grave viti-
um sit, per artem non corrigibile, ante considerandum est,
ut praemoneatur aeger adstantesque, vel cum periculo mor-
tis conjunctam fore operationem, vel certe levamen ab ope-
ratione expectandum non fore diuturnum. Ideoque in
empyemate à thoracis vulnere non laesis interioribus praer-
aliis securius adhiberi potest.

LXII. Ubi autem instituta est operatio, tum in puris
emissione diligenter attendendum monitum Hippocr. quod
praedictione in aph. 27. l. 6. indicare voluit: *Quicumque
empyri aut hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua uni-
versum effluerit omnino moriuntur.* Et forte hac de causa
non

non pauci etiã moriuntur, dum interim remedium ipsum ab imperitis pro mortis causa allegatur. Quod tamen non obstat celeri puris educationi quam valdè commendat Pet. Marchettus obs. chir. 43. ne dum sensim exudat, partes internæ exulcerentur pus augeatur, atque ulcera febrisq; quotidie invalescant, cum præsentis vitæ discrimine.

LXIII. Jam ulterius adhuc dispiciendum est quando, in qua parte, & quibus instrumentis apertio hæc peragenda. Hippocr. in Coacis non statim institui vult, simul ac effusi in thoracem puris signa sunt, jubetque differre in 15. diem ut materia coquatur magis & coctione mitescat. Id quod admitti potest, & interea remedia quoque alia, de quibus antea dictum, educendæ materiæ idonea tentari. Neque tamen nimis diu expectandum, ne & interiora lædantur magis, & vires, ut antea dictum, concidant: quamvis Rondeletius scribat se in juvene Salomone dicto, qui per annum pus in thorace post pleurisi gestaverat & quasi absumptus erat, uisionem feliciter instituisse & per vulnus pus expurgasse.

LXIV. Qua occasione id quoque notandum est, nonnullos practicos apertionem jubere instituire in loco dolente antequam rumpatur abscessus, profluatque pus in cavitationem thoracis, quia ruptio ipsa non caret periculo suffocationis etiam, & viderur sic commodius posse educi. Quod & Rondeletius l. c. docet & pluribus Lud. Mercat. de Inter. morb. cur. l. 2. c. 8. & Petrus Michaël de Heredia de acutis morb. sect. 4. disp. 3. c. 4. Verum hoc verbis quidem proponunt, opere autem ipso se præstitisse non scribunt. Cum autem ipsi suppurata demum inflammatione hoc fieri velint, arduum sanè est, pus confectum collectumque intra vomitam nosse, ne nunc alias difficultates huc adducam.

LXV. In parte determinanda primò indagandum in

D 3

quo

quo latere, dein in quo lateris loco. Hippocr. l. 3. de mor-
bis t. 67. optandum ait, ut in sinistra potius, quam dextra
parte liceat instituere apertionem, quia dextra urere aut
secare lethalius, ob dextrarum partium robur, quod plu-
ribus explicat Pet. Salius Diversus comm. ad l. 1. de morb.
n. 5. p. 77. Verum id suo loco jam relinquimus, voti enim tan-
tum res est, nec in nostra est manu, præstare, ut in hac aut
illa parte pus sit, sectio autem in illo latere est instituenda,
ubi pus collectum esse signis didicimus. Si in utroque est
latere, in utroque & apertio instituenda, successive, si reli-
qua consentiant, & periculi magnitudo non planè deter-
reat, beneficio enim mediastini divisus est thorax, ut ex uno
latere in alterum transire materia nequeat, ideoque frustra
ad alterius lateris pus educendum in altero instituitur a-
pertio.

LXVI. Locus lateris aliquando à natura ipsa indicatur
dum pus extrorsum in musculos externos protrudit, tumo-
remque notabilem ibi facit, quale quid & in subulci filio
observavimus. Et ad hoc semper solent attendere Chi-
rurgi, Ingrassiasque ipse non satis aliàs ad apertionem fa-
cilis, in tali casu neminem, quantumvis pusillanimum, fu-
turum arbitratur, qui talem apertionem retardaret. In illo
autem tumore apertio erit instituenda, nisi gravissima cau-
sa impediatur.

LXVII. Ubi nullus se manifestat tumor, tum lo-
cus is eligi debet, qui & materiæ expurgandæ commodis-
simus est & in quo minori cum periculo, & sine diaphragma-
tis læsione fieri apertio potest. Talem autem locum de-
prehenderunt Chirurgi esse inter tertiam & quartam, aut
quartam & quintam costas infernè sursum numerando, ea
quidem costarum sede, qua illæ maximè in posteriora ob-
liquantur & prominent.

LXIX.

LXIIII. Potest autem apertio fieri vel sectione vel us-
sione. Ustio iterum fit vel potenciali vel actuali cauterio.
Potentiale cauterium minus usitatum videtur, laudat ta-
men imprimis Jac. Bontius de Medic. Indor. cap. 13. quod
aliàs vulnus nimis citò coalescat, & citius, quam necesse
est; per cauterium autem potentiale factò vulnere rotun-
do labia à se invicem quàm longissimè distent faciliorque
ita exitus puri detur. Verum sectione etiam foramen sa-
tis patulum fieri potest, quam sclopomachario aut lancet-
ta vulgò dicta moliri licet. Vesalius, ut in Epist. ad Ingrass.
testatur sectioni factæ digitum magis minusque imponit
materiæque in thorace collectæ exitum non nihil præbet:
quem in finem Chirurgo Gallo annulo scalpellum anne-
xum habere, quo digitorum alicui adaptato dum scalpellum
perforat immitti statim digitus quoque possit, retulit mihi
Cl. Dn. MEIBOMIUS. Ferrum ignitum nonnulli magis
laudant, quod sanguinis profluvium prohibeat, alij verò
thoracis compositionem ex ossibus, cartilaginibus, nervis
membranisque ignem non admittere judicant. Vide alia
apud Fienum tract. Chirurg. v. c. VIII.

LXIX. Factò foramine jam videndum nobis erit,
quid porrò agendum, illique indicationi satisfaciendum,
quàm suprà oriri dixi de partibus in thorace læsis restauran-
dis. Jam tum verò illud etiam suprà propositum est, ma-
teriam non simul & semel esse educendam. Immisssa igi-
tur turunda eaque bis de dieeducta sensim evacuari po-
test: cannula etiam argentea vel plumbea alata, non nimis
longa, ne pulmones lædat, immitti potest, per quam hu-
mor sensim expurgatur. Ut autem materia melius sequa-
tur æger in latus affectum decumbet, & tussendo eam pro-
vocabit: si materia ipsa sequax non sit, nonnulli per siphonem

nem

nam aquam mulsam aut decoctum aliquod detergens in-
fundunt.

LXX. Et ita quoque ad partes læsas restaurandas, ul-
ceratas mundandas, detergendas, iterumque consolidandas
injiciunt in cavitatem pectoris suas medicinas Chirurgi,
quas manè infusas vesperi & vesperi infusas mane evacuant.
Decocta scopis à me indicatis convenientia non incognita
sunt & apud praticos habentur. Scult. in Armam. t. 37.
f. 143. per quinque dies vinum & oleum tepefactum per fi-
stulam infundi jubet, ne pulmones humectari soliti dere-
pentè exiccentur. Ustionem putrefacti pulmonis ex Car-
dano tanquam temerariam rectè rejecit Hercules Saxonia.
Interim interna etiã administrari debent, quæ aliàs in phthi-
si proponuntur, decocta imprimis lignorum, sancti, San-
galini, radicis Chinæ. Jam enim ne alia memoremus ad fi-
nem festinamus, ideoque nec de vulnere ipso consoli-
dando, nec de diætâ quicquam addimus,
cum satis ea nota sint.

F I N I S.



ULB Halle
003 358 771


3




Sb.

1017







jj

1670, 1
1

VS BENE VERTAT!
TIO MEDICA,
DE
EMATE

V A M
DSTANTE GRATIA
ET AVCTORITATE
ICORVM IN ILLVSTRI
EMIA JULIA
OLLEGII

isquisitioni subji-
KELNER
-THVRINGVS

SPONDENTE
OMONE BERGMANNO
OTHANO
M OCTOBRIS.



LMESTADI,
GI MÜLLERI, Acad. Typ.
O CIO IO C LXX.